



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Multiscius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

A usitatissimo vocabulo appellarunt. Horatius de Jove: *Variisq; mundum temperat horis.* Et quoniam *Lib. 1. Car. 64. 12.* in horas incidimus, erat apud Megarenses Jovis simulachrum, supra cuius caput & Parca & Hora statuta erant, ea de causa, inquit Paulanias, quod fata in Jovis omnino potestate consistant: Horas vero, quippe quae nos Anni tempora dicimus, arbitrio suo disponat. Caeterum quod ad Parcas attinet, Aeschylus Jovem quoque ipsum fato subiectum esse dicit, ita super eo locutus, *ἔκταν ἂν ἐξέφυγε τὴν περὶ αὐτῶν λόγῳ.* Atque hinc forte Parca illi supra caput insident.

JANI FILIAE IV. CAP. XXXI.

Critolaus tertio τῶν Φαινομένων, Jani simulachrum ideo quadrifrontem figurari dicit, quod filiae ejus quatuor laqueo gulam fregerint. Jani patris desiderio, quem agricolae lapidibus obruissent: ubi de Jano illo loqui videtur, qui Saturni filius perhibetur, qui vino finitimis agricolis communicato, cum ii suavitate illecti plus aequo hausissent, in somnumque prolapsi diu jacuissent, experrecti demum, venenumque sibi propinatum arbitrati, consurrexerunt in Janum, eumque lapidibus oppresserunt. Haec eadem a Plutarcho referuntur.

QUINCUCEPS MANASSES. CAP. XXXII.

Quinis vero frontibus neminem praeter Manassem formatum legi, qui Rex Hebraeorum posteaquam Prophetam Esaiam sustulit, quincuplici facie statuam sibi posuit, ut longe plura se perspicere indicaret, quam Prophetam, qui *Videntes* appellabatur.

SEPTICEPS. CAP. XXXIII.

Mathematici, si Petri Aponensis inventa sumus admittunt, quae unde desumpta sint, quamque antiquum sit argumentum illud, alibi declaravimus, hieroglyphicum septem capitibus insigne, quintodecimo Geminorum gradu statuere: inde significantes, sub eo graduum numero in lucem editum Multiscium fore: quippe nul-

lum doctrinae genus, artem nullam, nullam denique linguam esse celebrem, quam is non sit optime consecutus, eundem tam publicis quam privatis rebus agendis artificissimum, & inter mortales admirabilem omnino fore pollicentes.

MULTISCIUS.



Præsertim forsan in septem artibus liberalibus.

DE COMA. CAP. XXXIV.

Capilli vero cum ad caput pertineant, hieroglyphicis ejus postulant adscribi, qui nimirum in *Matth. 10. Capillorum in Sacris hieroglyphicum.* Divinis literis cogitationes, quibus ornatur anima, mensque contegitur, significare feruntur a veneranda antiquitatis Theologis: anima enim ipsa cogitationes generat, perinde ac caput sibi capillos profert, quibus ornatur & obtegatur. Hinc illud, *Capillos capitis nostri numerosos esse:* cogitatus quippe nostros omnes Deo patefcere. Tondere autem, superfluas & inutiles cogitationes summovere significat: quae nisi tondeantur, vel obcaecant, vel aliquod aliud afferunt impedimentum. Eucherius pilos veterum cogitationum indices esse dicit, ideoque imperatum a Moyse, ut Levitae abradant omnes corporis sui pilos. In Nazaraeis autem non tondere, neque quidem pati, ut eorum caput a novacula tangatur, indicium est, eos cogitatus suos, atque omnem vitam rationem, ita Deo dedicasse, ut nihil in eis superfluum appareat. Nam & qui sacerdotibus mandaverunt, ut barbam nutrent, quod in Nazaraeorum quandam similitudinem olim Concilia pleraque statuerunt: fieri hoc intellexerunt, ut hi dum barbam capillosve vel viderent vel attrectarent suos, sui idem officii recorderentur, cogitatus quippe suos in Deum dirigendos, totum esse sanctum debere sacerdotem, bono semper uti consilio, & in se nihil admittere, quod vel mutare vel summovere sit opus. Quis est hic, dicit aliquis, ut laudem Deo demus? Esto vel nullus, vel quam rarissimus, admonitio tamen

Ccc

hæc